

§. 2. Quod Ebraeam linguam attinet, ea necessaria est Ecclesiae ministro sive in docendo, sive in pugnando versetur: utrumque enim officium requirit Scripturae interpretationem, ut solide vera sententia ex scriptura proponatur & contra adversarios defendatur, quod sine Hebr. Linguae tanquam textus authentici in V. T. fieri non potest. Exemplis res erit clarior. Sumamus nomen Dei essentielle יהוה . Hoc non potest recte explicari, nisi ex Hebr. lingua, in qua ab existendo nomen habet, 1. quia à se existit, 2. aliis rebus creatis dat existentiam 3. res promissas servat, iisque dat esse suum. Hinc potest intelligi Locus *Exod. 6.3.* ubi Deus ait, se innotuisse Abrahamo, Isaac & Jacobo in Deo יהוה omnipotente, sed in nomine יהוה non innotuisse, scilicet nondum implevisse, quod promiserat &c. Hic locus explicari nequit, nisi ex accurata cognitione nominis יהוה .

§. 3. Ita ex nomine divino Ebraico brevissime necessitas Ebr. Linguae ostenditur. Nomina enim divina sine cognitione Linguae Ebr. satis intelligi & explicari non possunt. Eadem necessitas ex aliis vocibus ostendi potest. e.g. Christo in sacris tribuitur nomen משיח v. g. *Job. 19. 25.* sed pauci solide & ex fundamento id explicant. Quidam per *Redemptorem* explicant, sed non satis exprimunt vocem. Græcus per vocem λυτρωτής , propius accedit ad rem, quod intelligatur redemptor, qui alterum redimit solutione λύτης , seu precii: sed neque sic vocis hujus significatus exhauritur: Hebr. enim משיח proprie & accurate loquendo notat talem assertorem & vindicem, redemptorem, seu liberatorem, qui jure consanguinitatis motus causam propinqui sui interfecti asserit, ejusque sanguinem vindicat: vel, qui bona à consanguineo proximo donatione, seu venditione vel quocunque modo devoluta, & contractu quodam implicata jure proprietatis ei rursus asserit & vindicat: Hæc est vis vocis משיח quæ ostendit, qua-